a/ c — a l. transtulit et ordinavit in sacratissima sede a Deo conservatae[a] civita-
tis Constantinopolitanae praesentem Germanum sanctissimum archiepisco-
a/ Taraoniensi 3. pum. Aitardus quoque de Nanroniensi[a] episcopatu inthronizatus est
in Toronensi archiepiscopatu, dante imperatore Karolo secundo et con-
sentiente papa Adriano secundo.

VB. Quod Osius non catholice dixerit: „Nec laicam in finem com-
munionem accipiat." Inf. Osius dixit: Si quis episcopus per avaritiam
et ut dominationem agat, sedem mutaverit, nec laicam communionem
habeat. deinde in sequenti capitulo, etiamsi talis extiterit, ut per frau-
des et quodam praemio et mercede corruptos excusationem afferens, ut
quasi eum populi petere videantur; nec laicam in finem communionem
accipiat. Def. Quod Osius avaritiam et ambitionem, dominationes et frau-
des prohibuit, libenter amplector. Quod autem subinnexit: „Nec laicam
in finem communionem accipiat, non suscipio, quoniam non catholi-
cum, sed catharum sonat, praesertim cum Dominus per prophetam cla-
mat: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. et in evangelio
gaudium est inquit coram angelis Dei super uno peccatore peniten-
tiam agente, quam supra nonaginta novem iustos, qui non indigent
/ finem l. penitentia. Alios vere quo finem suum sapere Osius concluserit, flere
magis libet quam verbis exprimere.

f 130. VI. De eo, qui semel in qualibet ecclesia lector extiterit. Inf. Africanum
concilium statuit, ut qui~~semel~~cumque in ecclesia semel legerit, ab alia ecclesia
ad clericatum non admittatur. Et si hoc de lectoribus statutum est,
quo pacto Formosus ab episcopali sede ad apostolicum thronum
transferri debuit? Def. Hoc enim, quod de lectore obiecisti, non
ita intellegendum est, ut qui semel in qualibet ecclesia lector extiterit,
ulterius iam in alia ecclesia nullatenus ad clerum ammitti possit;
sed manifestius in Africano concilio, ubi Epigonius pro suo discipulo